



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 9. Regnum Aragoniae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 6. *Regnum Murcianum.*

DIU quoque hæc Regio Mauris paruit : sed tandem arce Murcianâ Alphonso Infanti redditâ sæculo 13. Castellæ adiunctum est, cum Mauros agnouisset dominos annis 500. Nunc proregem habet; laudatur ob mala citrea, aurea, punica, & faccarum, vinumque totius Hispaniæ generosissimum.

§. 7. *Regnum Portugallia.*

ORIGINEM habuit in Henrico è regia Capetorum familiâ, cui ob fortitudinem in bello Maurico Alphonsus VI. filiam suam Theresiam dedit, & dotis nomine quidquid in Portugallia, & Galiciâ Mauris eripuerat sub nomine Comitatus cliëtelaris sæculo Christi vndecimo. Sed eius filius ab indigenis Rex proclamatus est. Perit Regum horum profapia Sebastiano in Africa infeliciter cæso, de cuius hereditate dum plures iure disputât, rationibus suis Philippus Rex Hispaniæ arma coniunxit, & sibi causam adiudicauit. Hisce temporibus in Ducem Bragantiæ iterum à Castellano distractum est. Tota Regio miræ fertilitatis, atque etiam Orienti alendo penè par. Incolæ magni animi, & religiosissimi Indiarum domitores. Equos velocissimos hæc regio sufficit, vnde fabulæ locus de Equabus ex vento concipientibus. Dictam esse volunt à Portu Gallorum vt Marinæus & alij. Meliùs ab vrbe *Porto* quæ apud Antoninum *Portus Cala & Calen* appellatur.

§. 8. *Regnum Algarbia.*

A Mauris sic dictum quasi *Campus fertilis*. Concessum est Alphonso tertio per Alphonsum Sapientem in dorem Beatrici filiæ, & Dionysius ab iis susceptus se Regem Portugalliæ, & Algarbiæ dixit. Regio vberissima, & portuosa, littus piscibus refertissimum.

§. 9. *Regnum Aragonia.*

TEMPORE Garcia Inigo Nauarræ Regis, Comites Aragoniæ succreuisse dicuntur. Et eorum primus creditur Aruasius, qui ob

rem prosperè in Mauros gestam ditionem ad Fl. Aragonem recepit à Rege sub iure clientelæ, & nomine Comitis. Sub Sancio Magno Regnum institutum est, datumque primò Ramirio Regis notho, qui postea regna Sobarbiæ, & Ripargorziæ, eidem regno coniunxit, ex quibus hoc maximè censetur coaluisse. Porrò fuit modò Nauarræ, modò Castellæ vnitum, aut separatum. Donec sub Ferdinãdo V. & Isabellâ Magnum Hispaniæ regnum cum Castellâ conflauit. Regio quâ Pyrenæum attingit satis fertilis, & rigua, versus Castellam sicciior, & penè deserta; ferro optimo abundat.

§ 10. *Regnum Catalonia.*

A Gothis & Alanis in eâ sedes coniungentibus nomen accepisse creditur, à quibus Gothalaniam dicitur, à Mariana Catalaunia. Regio egregiè rigua, & quibusdam in locis satis fertilis. Per Martellum, & Francos defensa ab iisdem Comitibus accepit, qui Barcinonenses appellabantur. Perpetuum habuit primum, Godefriadum cognomento Hirsutum *le Velu*, cum is se fortem præstitisset Carolo Crasso in bello Nortmanico; eâ lege tamen vt Franciæ clientelaris esset. Nihilominus Raymundus Berengarius, postea dictus Alphonso cum duxisset Reginam Aragoniæ Comitatum suum huic regno coniunxit reclamantibus Gallis: donec per Philippum Audacem lis composita. Hic enim Aragonis filiam vxorem duxit, & ius patronatus abalienauit, dummodo vt Rex Aragonis iure cederet earum ditionum, quas sibi in Galliâ vindicabat. Barcinonenses seruauit aliquam Reip. formam. Magna autem pars Catalaniæ imitata suam Metropolim, ad Gallica scepra sponte transit. Huius pars ante paucos annos habebatur

Comitatus Ruscinonensis.

ERVS Comes nominatur Gerardus, qui cum sine liberis mortuus esset, obuenit Raymundo, seu Alphonso Aragonum Regi. Sed postea Iacobus Aragonius hunc pecuniâ, & auxilio vendidit Ludouico XI. in Catalanicis tumultibus. Restituit eam Ferdinando Aragonio Carolus VIII. eâ conditione vt Neapolitanos Reges affines eius non iuuaret, in quos bellum parabat. Sed promissis non stetit, & quod offerebatur accepit. A Lud. XIII. for-